Ipse autem seruus dei beatus placidus sedens te legebat. Et interrogauit
quis esset homo ille qui ad pedes eius ceciderat. Et quia balbutiens innuebat ei ma-
nibus; Ante modicum superuenerant ibi quam plurimi clerici ab episcopo
boni homines ex eadem ciuitate. qui uisitationis gratia conuenerant ad eum; Et
dixit ad eum donatus homo suus. Domine mi honorabilis. sciatis quia homo iste surdus
et mutus est. qui ex profluentia sanie que de auribus eius egreditur. etiam uermes cadent
exinde in terra. et rogat te cum indiciis manuum balbutiens ut mi-
sereatis ei; Ad quod dictum etiam omnes clerici qui aderant et boni homines qui
superuenerant. ceperunt unanimiter rogare eum pro eo. ut misere-
atur ei propter deum; Mox beatus placidus flexus ad misericordiam surgens.
modicum intra se pro eo dominum orauit. deinde conuersus ad egrotum. et
imponens manum super capud eius dixit. Domine deus omnipotens qui plasmasti hominem
de limo terre. et inspirasti in faciem eius spiraculum uite. et dedisti ei dinoscen-
tiam boni et mali. audi deus preces nostrorum et merita sanctissimi patris nostri benedicti et omnium
monachorum qui sub eius magisterio tibi famulantur dignare adesse nobis. et per nos
humillimos et peccatores seruos tuos dignare occurrere huic famulo
tuo. conferendo ei sanitatem. ut omnes homines et uidentes et audientes dent
gloriam et magnificentiam nomini tuo sancto quod est benedictum ante omnia secula. et
benedicatur nunc et per infinita secula seculorum. Cumque omnes qui aderant hec
uidentes et audientes respondissent amen. ilico solutum est uinculum lin-
gue eius. et aperte sunt et sanate aures eius. et audiens plenissime: loque-
batur satis recte. et omnibus uidentibus et audientibus benedicens et glorificans
deum. Post hec alio inuento congruo nauigio. dantes naulum. et na-
uem conscendentes transfretantesque; cesaream sicilie applicuere ad
urbem. Qui mox ut descendit beatus placidus de nauigio cum seru-
ientibus sibi in terra. precepit gordiano ut requireret in ciuitate de
quodam ualde bono homine. qui fuerat aliquando magnus amicus tulli patris
sui messalinus nomine qui erat ex urbe roma natus. qui etiam erat in illa
ciuitate ualde ditissimus. Quo uelociter per industriam inuento. duxit eum ad litus
maris. ubi beatus placidus erat. Et ueniens messalinus. uidens eum
et assimilans faciem eius ululatu tulli patris illius. ruit in terra coram
eo. et osculabatur pedes eius. Et eleuans eum a terra beatus placidus. os-
culabatur eum et benedixit eum. Et dixit ei messalinus. Domine pro qua-
re tantum fastigium assumsisti ut usque ad terram istam uenires. Et res-
pondens beatus placidus notificauit ei omnia pro qua re ab abbate